

COLLOQVI/COLLOQUI
quod tu in docendo potes...
Conventiculum XII


Colloquia Bienniensia

in sanctorum Petri et Pauli asceterio

ab a.d. VI ad a.d. IV Kal. Oct.

Anno MMXV

PROFVGI



Cratera Aenariae in Musaeo asservata, in qua naufragii imago depicta est.

ORDO RERVM TRIDVO AGENDARVM

Die Saturni	Die Dominico	Die Lunae
h 09.00-09.30 Advenientes excipiuntur	h 08.00-08.30 Ientamus	h 08.30-09.00 Ientamus
h 10.00-11.00 Cuncti congregimur in Auditorium magnum	h 09.00-11.00 Milani, Ongaro, Perelli, Silvagni, Tanca, moderante Luciana Preti de arte docendi disputant	h 9.00-10.30 Ammiani Marcellini locos selectos praelegimus
h 11.00-11.15 Interquiescimus	h 11.00-11.15 Interquiescimus	h 11.00-11.15 Interquiescimus
h 11.15-12.45 Vergilii locos selectos praelegimus	h 11.15-12.45 Iterum de Ammiano Marcellino	h 11.30-12.45 Livii locos selectos legimus
hora prima semis prandemus	hora prima semis prandemus	hora prima demis prandemus
h 15.00-16.30 Francisci Petrarcae <i>De exilio</i> priorem locum tractamus	h 15.00-16.30 Senecae ad Helviam consolationem praelegimus	h 14.00-15.00 Ciceronis <i>Tusculanarum</i> locum praelegimus
h 16.30-17.00 Interquiescimus	h 16.30-17.00 Interquiescimus	Fine opus coronatur
h 17.00-19.00 Iterum de Petrarca	h 17.00-19.00 Iterum de Vergilio	-
hora septima semis cenamus	hora septima semis cenamus	-
h 21-22,30 Catulli et Ovidi carmina concinimus	h 21-22,30 Catulli, Ovidi, Vergilii versus concinimus	-

Conspectus locorum qui hic continentur

C. Valeri Catulli <i>Ad Sirmium insulam</i>	3
C. Valeri Catulli <i>Ad inferias</i>	3
M. Tulli Ciceronis <i>Tusculanarum Disputationum Liber V</i>	4
P. Vergili Maronis <i>Aeneidos liber I</i>	5
P. Vergili Maronis <i>Ecloga I</i>	7
P. Ovidi Nasonis <i>Tristium Liber I</i>	8
Titi Livi <i>Ab Urbe Condita Liber I</i>	11
Titi Livi <i>Ab Urbe condita Liber V</i>	11
L. Annaei Senecae <i>Consolatio ad Helviam</i>	13
Ammiani Marcellini <i>Historiae Liber XXXI</i>	14
Sancti Hieronymi <i>Ad Principiam</i>	16
Francisci Petrarcae <i>De remediis utriusque Fortunae</i>	18

XXXI - Ad Sirmium insulam

Paene insularum, Sirmio, insularumque
ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
marique vasto fert uterque Neptunus,
quam te libenter quamque laetus invisio,
vix mi ipse credens Thuniam atque Bithunos
liquisse campos et videre te in tuto.
o quid solutis est beatius curis,
cum mens onus reponit, ac peregrino
labore fessi venimus larem ad nostrum,
desideratoque acquiescimus lecto?
hoc est quod unum est pro laboribus tantis.
salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude
gaudete, vosque, o Lydiae lacus undae,
ridete, quidquid est domi cachinnorum.

CI - Ad inferias

Multas per gentes et multa per aequora vectus
advenio has miseras, frater, ad inferias,
ut te postremo donarem munere mortis
et mutam nequiquam alloquerer cinerem.
quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
heu miser indigne frater adempte mihi,
nunc tamen interea haec, prisco quae more parentum
tradita sunt tristi munere ad inferias,
accipe fraterno multum manantia fletu,
atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

Textus adhibitus:
Catullo, *I canti*, Rizzoli, Milano 1986.

XXXVII. [106] Contempto igitur honore, contempta etiam pecunia quid relinquitur quod extimescendum sit? Exilium, credo, quod in maxumis malis ducitur. Id si propter alienam et offensam populi voluntatem malum est, quam sit ea contemnenda, [sicut a] paulo ante dictum est. Sin abesse a patria miserum est, plenae miserorum provinciae sunt, ex quibus admodum pauci in patriam revertuntur.

[107] 'At multantur bonis exules'. Quid tum? parumne multa de toleranda paupertate dicuntur? Iam vero exilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quaerimus, quantum a perpetua peregrinatione differt? In qua aetates suas philosophi nobilissimi consumpserunt, Xenocrates Crantor Arcesilas Lacydes Aristoteles Theophrastus Zeno Cleanthes Chrysippus Antipater, Carneades Clitomachus Philo Antiochus Panaetius Posidonius, innumerabiles alii, qui semel egressi numquam domum reverterunt. 'At enim sine ignominia'. <An potest exilium ignominia> adficere sapientem? de sapiente enim haec omnis oratio est, cui iure id accidere non possit; nam iure exulantem consolari non oportet.

[108] Postremo ad omnis casus facillima ratio est eorum, qui ad voluptatem ea referunt quae secuntur in vita, ut, quocumque haec loco suppeditetur, ibi beate queant vivere. Itaque ad omnem rationem Teucris vox accommodari potest:

'Patria est, ubicumque est bene'.

Socrates quidem cum rogaretur, cuiatem se esse diceret, 'mundanum' inquit; totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur.

Textus adhibitus:

Cicerone, *Le Tuscolane*, Bompiani, Milano 1993.

«O socii — neque enim ignari sumus ante malorum — O passi graviora, dabit deus his quoque finem. Vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantis accestis scopulos, vos et Cyclopia saxa expertis: revocate animos maestumque timorem mittite; forsitan et haec olim meminisse iuvabit. Per varios casus, per tot discrimina rerum tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas ostendunt; illic fas regna resurgere Troiae. Durate et vosmet rebus servate secundis».	200
[...] Postquam introgressi et coram data copia fandi, maximus Ilioneus placido sic pectore coepit: «O Regina, novam cui condere Iuppiter urbem iustitiaque dedit gentis frenare superbas, Troes te miseri, ventis maria omnia vecti, oramus: prohibe infandos a navibus ignis, parce pio generi, et propius res aspice nostras. Non nos aut ferro Libyco populare Penatis venimus, aut raptas ad litora vertere praedas; non ea vis animo, nec tanta superbia victis. [...] Quassatam ventis liceat subducere classem, et silvis aptare trabes et stringere remos: si datur Italiam, sociis et rege recepto, tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus; sin absumpta salus, et te, pater optime Teucrum, pontus habet Libyae, nec spes iam restat Iuli, at freta Sicaniae saltem sedesque paratas, unde huc advecti, regemque petamus Acesten».	520
[...] Tum breviter Dido, voltum demissa, profatur: «Solvite corde metum, Teucro, secludite curas. Res dura et regni novitas me talia cogunt moliri, et late finis custode tueri. Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem virtutesque virosque, aut tanti incendia belli? Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni, nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.	525
[...] Tum breviter Dido, voltum demissa, profatur: «Solvite corde metum, Teucro, secludite curas. Res dura et regni novitas me talia cogunt moliri, et late finis custode tueri. Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem virtutesque virosque, aut tanti incendia belli? Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni, nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.	551
[...] Tum breviter Dido, voltum demissa, profatur: «Solvite corde metum, Teucro, secludite curas. Res dura et regni novitas me talia cogunt moliri, et late finis custode tueri. Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem virtutesque virosque, aut tanti incendia belli? Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni, nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.	555
[...] Tum breviter Dido, voltum demissa, profatur: «Solvite corde metum, Teucro, secludite curas. Res dura et regni novitas me talia cogunt moliri, et late finis custode tueri. Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem virtutesque virosque, aut tanti incendia belli? Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni, nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.	561
[...] Tum breviter Dido, voltum demissa, profatur: «Solvite corde metum, Teucro, secludite curas. Res dura et regni novitas me talia cogunt moliri, et late finis custode tueri. Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem virtutesque virosque, aut tanti incendia belli? Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni, nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.	565

Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva, sive Erycis finis regemque optatis Acesten, auxilio tutos dimittam, opibusque iuvabo. Voltis et his mecum pariter considerare regnis; urbem quam statuo vestra est, subducite navis; Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur». [...]	570
Tum sic reginam adloquitur, cunctisque repente improvisus ait: «Coram, quem quaeritis, adsum, Troius Aeneas, Libycis ereptus ab undis. O sola infandos Troiae miserata labores, quae nos, reliquias Danaum, terraeque marisque omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos, urbe domo socias, grates persolvere dignas non opis est nostrae, Dido, nec quicquid ubique est gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem. Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid usquam iustitia est et mens sibi conscia recti, praemia digna ferant. Quae te tam laeta tulerunt saecula? Qui tanti talem genuere parentes? In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet, semper honos nomenque tuum laudesque manebunt, quae me cumque vocant terrae». [...]	595
Obstipuit primo aspectu Sidonia Dido, casu deinde viri tanto, et sic ore locuta est: «Quis te, nate dea, per tanta pericula casus insequitur? Quae vis immanibus applicat oris? Tunc ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam? Atque equidem Teucrum memini Sidona venire finibus expulsum patriis, nova regna petentem auxilio Beli; genitor tum Belus opimam vastabat Cyprum, et victor dicione tenebat. Tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis Troianae nomenque tuum regesque Pelasgi. Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat, seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat. Quare agite, O tectis, iuvenes, succedite nostris. Me quoque per multos similis fortuna labores iactatam hac demum voluit consistere terra. Non ignara mali, miseris succurrere disco».	600
	605
	615
	620
	625
	630

M. - Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
 silvestrem tenui Musam meditaris avena;
 nos patriae fines et dulcia linquimus arva.
 nos patriam fugimus; tu, Tityre, lentus in umbra
 formosam resonare doces Amaryllida silvas. 5

T. - O Meliboe, deus nobis haec otia fecit.
 namque erit ille mihi semper deus, illius aram
 saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
 ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
 ludere quae vellem calamo permisit agresti. 10

M. - Non equidem invideo, miror magis; undique totis
 usque adeo turbatur agris. en ipse capellas
 protenus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.
 hic inter densas corylos modo namque gemellos,
 spem gregis – ah -- silice in nuda conixa reliquit. 15
 saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
 de caelo tactas memini praedicere quercus.
 [...]

At nos hinc alii sitientis ibimus Afros,
 pars Scythiam et rapidum cretae veniemus Oaxen 65
 et penitus toto divisos orbe Britannos.
 en umquam patrios longo post tempore finis
 pauperis et tuguri congestum caespitem culmen,
 post aliquot, mea regna, videns mirabor aristas?
 impius haec tam culta novalia miles habebit, 70
 barbarus has segetes. en quo discordia civis
 produxit miseros; his nos consevimus agros!
 insere nunc, Meliboe, pios, pone ordine vitis.
 ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.
 non ego vos posthac viridi proiectus in antro 75
 dumosa pendere procul de rupe videbo;
 carmina nulla canam; non me pascente, capellae,
 florentem cytisum et salices carpetis amaras.

T. - Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
 fronde super viridi. sunt nobis mitia poma, 80
 castaneae molles et pressi copia lactis,
 et iam summa procul villarum culmina fumant
 maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

Textus adhibiti:

Virgilio, *Eneide* a c. di E. Paratore, Mondadori, Milano 2007.

Virgilio, *Bucoliche e Georgiche*, a c. di G. Ammendola, D'Anna, Messina 1958.

III - Cum subit illius tristissima noctis imago,
 quae mihi supremum tempus in urbe fuit,
 cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,
 labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.
 iam prope lux aderat, qua me discedere Caesar 5
 finibus extremae iusserat Ausoniae.
 nec spatium nec mens fuerat satis apta parandi:
 torpuerant longa pectora nostra mora.
 non mihi seruorum, comitis non cura legendi,
 non aptae profugo uestis opisue fuit. 10
 non aliter stupui, quam qui Iouis ignibus ictus
 uiuit et est uitae nescius ipse suae.
 ut tamen hanc animi nubem dolor ipse remouit,
 et tandem sensus conualuere mei,
 alloquor extremum maestos abiturus amicos, 15
 qui modo de multis unus et alter erat.
 uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat,
 imbre per indignas usque cadente genas.
 nata procul Libycis aberat diuersa sub oris,
 nec poterat fati certior esse mei. 20
 quocumque aspiceres, luctus gemitusque sonabant,
 formaque non taciti funeris intus erat.
 femina uirque meo, pueri quoque funere maerent,
 inque domo lacrimas angulus omnis habet.
 si licet exemplis in paruis grandibus uti, 25
 haec facies Troiae, cum caperetur, erat.
 iamque quiescebant uoces hominumque canumque
 Lunaque nocturnos alta regebat equos.
 hanc ego suspiciens et ad hanc Capitolia cernens,
 quae nostro frustra iuncta fuere Lari, 30
 «numina uicinis habitantia sedibus», inquam,
 «iamque oculis numquam templa uidenda meis,
 dique relinquendi, quos urbs habet alta Quirini,
 este salutati tempus in omne mihi.
 et quamquam sero clipeum post uulnera sumo, 35
 attamen hanc odiis exonerate fugam,
 caelestique uiro, quis me deceperit error,
 dicite, pro culpa ne scelus esse putet.
 ut quod uos scitis, poenae quoque sentiat auctor:
 placato possum non miser esse deo». 40
 hac prece adoraui superos ego, pluribus uxor,

singultu medios impediēte sonos.
 illa etiam ante Lares passis adstrata capillis
 contigit extinctos ore tremēte focos,
 multaque in auersos effudit uerba Penates 45
 pro deplorato non ualitura uiro.
 iamque morae spatium nox praecipitata negabat,
 uersaque ab axe suo Parrhasis Arctos erat.
 quid facerem? blando patriae retinebar amore,
 ultima sed iussae nox erat illa fugae. 50
 a! quotiens aliquo dixi properante «quid urges?
 uel quo festinas ire, uel unde, uide».
 a! quotiens certam me sum mentitus habere
 horam, propositae quae foret apta uiae.
 ter limen tetigi, ter sum reuocatus, et ipse 55
 indulgens animo pes mihi tardus erat.
 saepe «uale» dicto rursus sum multa locutus,
 et quasi discedens oscula summa dedi.
 saepe eadem mandata dedi meque ipse fefelli,
 respiciens oculis pignora cara meis. 60
 denique «quid propero? Scythia est, quo mittimur», inquam,
 «Roma relinquenda est, utraque iusta mora.
 uxor in aeternum uiuo mihi uiua negatur,
 et domus et fidae dulcia membra domus,
 quosque ego dilexi fraterno more sodales, 65
 o mihi Thesea pectora iuncta fide!
 dum licet, amplectar: numquam fortasse licebit
 amplius; in lucro est quae datur hora mihi».
 nec mora sermonis uerba imperfecta relinquo,
 complectens animo proxima quaeque meo. 70
 dum loquor et flemus, caelo nitidissimus alto,
 stella grauis nobis, Lucifer ortus erat.
 diuidor haud aliter, quam si mea membra relinquam,
 et pars abrumpi corpore uisa suo est.
 sic doluit Mettus tum cum in contraria uersos 75
 ultores habuit proditiōis equos.
 tum uero exoritur clamor gemitusque meorum,
 et feriunt maestae pectora nuda manus.
 tum uero coniunx umeris abeuntis inhaerens
 miscuit haec lacrimis tristia uerba meis: 80
 «non potes auelli: simul hinc simul ibimus», inquit,
 «te sequar et coniunx exulis exul ero.
 et mihi facta uia est, et me capit ultima tellus:
 accedam profugae sarcina parua rati.
 te iubet e patria discedere Caesaris ira, 85
 me pietas: pietas haec mihi Caesar erit».

talia temptabat, sicut temptauerat ante,
uixque dedit uictas utilitate manus.
egredior, siue illud erat sine funere ferri,
squalidus inmissis hirta per ora comis. 90
illa dolore amens tenebris narratur obortis
semianimis media procubuisse domo,
utque resurrexit foedatis puluere turpi
crinibus et gelida membra leuauit humo,
se modo, desertos modo complorasse Penates, 95
nomen et erepti saepe uocasse uiri,
nec gemuisse minus, quam si nataeque virique
uidisset structos corpus habere rogos,
et uoluisse mori moriendo ponere sensus,
respectuque tamen non periisse mei. 100
uiuat et absentem, quoniam sic fata tulerunt,
uiuat ut auxilio subleuet usque suo.

Textus adhibitus:

Ouidio, *Tristia*, Garzanti, Milano 1991.

[29] Inter haec iam praemissi Albam erant equites qui multitudinem traducerent Romam. Legiones deinde ductae ad diruendam urbem. Quae ubi intravere portas, non quidem fuit tumultus ille nec pavor qualis captarum esse urbium solet, cum effractis portis stratisve ariete muris aut arce vi capta clamor hostilis et cursus per urbem armatorum omnia ferro flammaque miscet, sed silentium triste ac tacita maestitia ita defixit omnium animos, ut prae metu obliti quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio rogitantesque alii alios, nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas ultimum illud visuri pervagarentur. Ut vero iam equitum clamor exire iubentium instabat, iam fragor tectorum quae diruebantur ultimis urbis partibus audiebatur pulvisque ex distantibus locis ortus velut nube inducta omnia impleverat, raptim quibus quisque poterat elatis, cum larem ac penates tectaue in quibus natus quisque educatusque esset relinquentes exirent, iam continens agmen migrantium impleverat vias, et conspectus aliorum mutua miseratione integrabat lacrimas, vocesque etiam miserabiles exaudiebantur mulierum, praecipue cum obsessa ab armatis templa augusta praeterirent ac velut captos relinquerent deos. Egressis urbe Albanis Romanus passim publica privataque omnia tecta adaequat solo, unaque hora quadringentorum annorum opus quibus Alba steterat excidio ac ruinis dedit. Templis tamen deum -- ita enim edictum ab rege fuerat -- temperatum est.

TITI LIVI AB VRBE CONDITA LIBER V

[34] De transitu in Italiam Gallorum haec accepimus: Prisco Tarquinio Romae regnante, Celtarum quae pars Galliae tertia est penes Bituriges summa imperii fuit; ii regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunaque cum sua, tum publica praepollens, quod in imperio eius Gallia adeo frugum hominumque fertilis fuit ut abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse iam exonerare praegravante turba regnum cupiens, Bellovesum ac Segovesum sororis filios impigros iuvenes missurum se esse in quas di dedissent auguriis sedes ostendit; quantum ipsi vellent numerum hominum excirent ne qua gens arcere advenientes posset. Tum Segoveso sortibus dati Hercynei saltus; Belloveso haud paulo laetiores in Italiam viam di dabant. Is quod eius ex populis abundabat, Bituriges, Arvernos, Senones, Haeduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos excivit. Profectus ingentibus peditum equitumque copiis in Tricastinos venit.

Alpes inde oppositae erant; quas inexsuperabiles visas haud equidem miror, nulladum via, quod quidem continens memoria sit, nisi de Hercule fabulis credere libet, superatas. Ibi cum velut saeptos montium altitudo teneret Gallos, circumspectarentque quam per iuncta caelo iuga in alium orbem terrarum transirent, religio etiam tenuit quod allatum est advenas quaerentes agrum ab Saluum gente oppugnari. Massilienses erant ii, navibus a Phocaea profecti. Id Galli fortunae suae omen rati, adiuvere ut quem primum in terram egressi occupaverant locum patientibus Saluis communirent. Ipsi per Taurinos saltus [saltum]que Duriae Alpes transcenderunt; fuisque acie Tuscis haud procul Ticino flumine, cum in quo consederant agrum Insubrium appellari audissent cognominem Insubribus pago Haeduorum, ibi omen sequentes loci condidere urbem; Mediolanium appellarunt.

[35] Alia subinde manus Cenomanorum Etiovio duce vestigia priorum secuta eodem saltu favente Belloveso cum transcendisset Alpes, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt locos tenuere. Libui considunt post hos Salluviique, prope antiquam gentem Laevos Ligures incolentes circa Ticinum amnem. Poenino deinde Boii Lingonesque transgressi cum iam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus traiecto non Etruscos modo sed etiam Umbros agro pellunt; intra Appenninum tamen sese tenuere. Tum Senones, recentissimi advenarum, ab Utente flumine usque

ad Aesim fines habuere. Hanc gentem Clusium Romamque inde venisse comperio: id parum certum est, solamne an ab omnibus Cisalpinorum Gallorum populis adiutam. Clusini novo bello exterriti, cum multitudinem, cum formas hominum invisitatas cernerent et genus armorum, audirentque saepe ab iis cis Padum ultraque legiones Etruscorum fusas, quamquam adversus Romanos nullum eis ius societatis amicitiaeve erat, nisi quod Veientes consanguineos adversus populum Romanum non defendissent, legatos Romam qui auxilium ab senatu peterent misere. De auxilio nihil impetratum; legati tres M. Fabi Ambusti filii missi, qui senatus populiue Romani nomine agerent cum Gallis ne a quibus nullam iniuriam accepissent socios populi Romani atque amicos oppugnarent. Romanis eos bello quoque si res cogat tuendos esse; sed melius visum bellum ipsum amoveri si posset, et Gallos novam gentem pace potius cognosci quam armis.

Textus adhibitus:

Tito Livio, *Storia di Roma dalla sua fondazione*, Rizzoli, Milano 1992.

VI. 1 - Remoto ergo iudicio plurium, quos prima rerum species, utcumque credita est, aufert, uideamus quid sit exilium. Nempe loci commutatio. Ne angustare uidear uim eius et quidquid pessimum in se habet subtrahere, hanc commutationem loci sequuntur incommoda: paupertas ignominia contemptus. Aduersus ista postea conflagam: interim primum illud intueri uolo, quid acerbi adferat ipsa loci commutatio.

2. "Carere patria intolerabile est." Aspice aedum hanc frequentiam, cui vix urbis immensae tecta sufficiunt: maxima pars istius turbae patria caret. Ex municipiis et coloniis suis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt: alios adduxit ambitio, alios necessitas officii publici, alios inposita legatio, alios luxuria opportunum et opulentum vitiis locum quaerens, alios liberalium studiorum cupiditas, alios spectacula; quosdam traxit amicitia, quosdam industria laxam ostendendae virtuti nancta materiam; quidam venalem formam attulerunt, quidam venalem eloquentiam.

3. Nullum non hominum genus concucurrit in urbem et virtutibus et vitiis magna pretia ponentem. Iube istos omnes ad nomen citari et 'unde domo' quisque sit quaere: videbis maiorem partem esse quae relictis sedibus suis venerit in maximam quidem ac pulcherrimam urbem, non tamen suam.

4. Deinde ab hac civitate discede, quae veluti communis potest dici, omnes urbes circumi: nulla non magnam partem peregrinae multitudinis habet. Transi ab iis quarum amoena positio et opportunitas regionis plures adlicit, deserta loca et asperrimas insulas, Sciathum et Seriphum, Gyarum et Cossuran¹ percense: nullum inuenies exilium in quo non aliquis animi causa moretur.

5. Quid tam nudum inueniri potest, quid tam abruptum undique quam hoc saxum? Quid ad copias respicienti ieiunius? Quid ad homines inmansuetius? Quid ad ipsum loci situm horridius? Quid ad caeli naturam intemperantius? Plures tamen hic peregrini quam ciues consistunt.

[...]

VII. 1 A caelestibus aedum te ad humana conuerte: uidebis gentes populosque uniuersos mutasse sedem. Quid sibi uolunt in mediis barbarorum regionibus Graecae urbes? Quid inter Indos Persasque Macedonicus sermo? Scythia et totus ille ferarum indomitarumque gentium tractus ciuitates Achaiae Ponticis inpositas litoribus ostentat: non perpetuae hiemis saeuitia, non hominum ingenia ad similitudinem caeli sui horrentia, transferentibus domos suas obstiterunt.

2. Atheniensis in Asia turba est; Miletus quinque et septuaginta urbium populum in diuersa effudit; totum Italiae latus quod infero mari adluitur maior Graecia fuit. Tuscos Asia sibi uindicat; Tyrii Africam incolunt, [in] Hispaniam Poeni; Graeci se in Galliam inmiserunt, in Graeciam Galli; Pyrenaeus Germanorum transitus non inhibuit – per inuia, per incognita uersauit se humana leuitas.

3. Liberos coniugesque et graues senio parentes traxerunt. Alii longo errore iactati non iudicio elegerunt locum sed lassitudine proximum occupauerunt, alii armis sibi ius in aliena terra fecerunt; quasdam gentes, cum ignota peterent, mare hausit, quaedam ibi consederunt ubi illas rerum omnium inopia deposuit.

Textus adhibitus:

L. Annaei Senecae *Dialogorum libri X, XI, XII*, ed. J.D. Duff, The University Press, Cambridge 1915.

¹ Alii: Corsicam.

III. 8. Fama tamen late serpente per Gothorum reliquas gentes, quod invisitatum antehac hominum genus modo nivium ut turbo montibus celsis, ex abdito sinu coortum adposita quaeque convellit et corrumpit: populi pars maior, quae Athanaricum² attenuata necessariorum penuria deseruerat, quaeritabat domicilium remotum ab omni notitia barbarorum, diuque deliberans, quas eligeret sedes, cogitavit Thraciae receptaculum gemina ratione sibi conveniens, quod et caespitis est feracissimi, et amplitudine fluentorum Histri distinguitur ab arvis, patentibus iam peregrini fulminibus Martis: hoc quoque idem residui velut mente cogitavere communi.

IV.1. Itaque duce Alavivo ripas occupavere Danubii, missisque oratoribus ad Valentem, suscipi se humili prece poscebant, et quiete victuros se pollicentes et daturos, si res flagitasset, auxilia.

2. dum aguntur haec in externis, novos maioresque solitis casus versare gentes arctas, rumores terribiles diffuderunt: per omne, quicquid ad Pontum a Marcomannis praetenditur et Quadis, multitudinem barbaram abditarum nationum vi subita sedibus pulsam circa flumen Histrum vagari cum caritatibus suis disseminantes.

3. quae res aspernanter a nostris inter initia ipsa accepta est, hanc ob causam, quod illis tractibus non nisi peracta aut sopita audiri procul agentibus consueverant bella.

4. verum pubescente iam fide gestorum, cui robur adventus gentiliū³ addiderat legatorum, precibus et obtestatione petentium citra flumen suscipi plebem extorrem: negotium laetitiae fuit potius quam timori, eruditis adulatoribus in maius fortunam principis extollentibus, quod ex ultimis terris tot tirocinia trahens ei nec opinanti offerret ut conlatis in unum suis et alienigenis viribus invictum haberet exercitum, et pro militari supplemento, quod provinciatim annum pendebatur, thesauris accederet auri cumulus magnus.

5. hacque spe mittuntur diversi, qui cum vehiculis plebem transferant truculentam. et navabatur opera diligens ne qui Romanam rem eversurus relinqueretur, vel quassatus morbo letali. proinde permissu imperatoris transeundi Danubium copiam, colendique adepti Thraciae partes, transfretabantur in dies et noctes, navibus ratibusque et cavatis arborum alveis agminatim inpositi, atque per amnem longe omnium difficillimum, imbriumque crebritate tunc auctum, ob densitatem nimiam contra ictus aquarum nitentes quidam, et natare conati, hausti sunt plures.

6. Ita turbido instantium studio orbis Romani perniciēs ducebatur. illud sane neque obscurum est neque incertum, infaustos transvehendi barbaram plebem ministros, numerum eius comprehendere calculo saepe temptantes, conquievisse frustratos, ut eminentissimus memorat vates:⁴

*quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem
discere, quam multae zephyro truduntur
harenae.*

7. Resipiscant tandem memoriae veteres, Medicas acies ductantes ad Graeciam: quae dum Hellespontiacos⁵ p^ontes, et discidio quodam fabili mare sub imo Athonis pede quaesitum, exponunt et turmatim apud Doriscum exercitus recensitos, concordante omni posteritate ut fabulosae sunt lectae.

² Ea tempestate iudex potentissimus Greuthungorum (Visigotharum)

³ Sequiori aevo gentiles a Romanis dicti sunt Barbari, et quicumque non lege civili Romanorum, sed inculto iure Gentium vivebant.

⁴ Virg. Georg. 2, 106.

⁵ Scilicet iunctis navibus

8. nam postquam innumerae gentium multitudines per provincias circumfusae, pandentesque se in spatia ampla camporum, regiones omnes et cuncta opplevere montium iuga, fides quoque vetustatis recenti documento firmata est. et primus cum Alavivo suscipitur Fritigernus, quibus et alimenta pro tempore et subigendos agros tribui statuerat imperator.

9. Per id tempus nostri limitis reseratis obicibus atque, ut Aetnaeas favillas armatorum agmina diffundente barbaria, cum difficiles necessitatum articuli correctores rei militaris poscerent aliquos claritudine gestarum rerum notissimos: quasi laevo quodam numine deligente, in unum quaesiti potestatibus praefuere castrensibus homines maculosi: quibus Lupicinus antistabat et Maximus, alter per Thracias comes, dux alter exitiosus, ambo aemulae temeritatis.

10. quorum insidiatrix aviditas materia malorum omnium fuit. nam - ut alia omittamus, quae memorati vel certe, sinentibus isdem alii perditis rationibus in commeantes peregrinos adhuc innoxios deliquerunt - illud dicetur, quod nec apud sui periculi iudices absolvere ulla poterat venia, triste et inauditum.

11. cum traducti barbari victus inopia vexarentur, turpe commercium duces invisissimi cogitarunt, et quantos undique insatiabilitas colligere potuit canes, pro singulis dederant Mancipiiis, inter quae quidam ducti sunt optimatum.

[...]

V.1. At vero Theruingi, iam dudum transire permissi, prope ripas etiam tum vagabantur, duplici inpedimento adstricti, quod ducum dissimulatione perniciose, nec victui congruis sunt adiuti, et tenebantur consulto nefandis nundinandi commerciis.

2. quo intellecto ad perfidiam instantium malorum subsidium verti mussabant, et Lupicinus, ne iam deficerent pertimescens, eos admotis militibus adigebat ocus proficisci.

[...]

10. Et quoniam ad has partes post multiplices ventum est actus, id lecturos - si qui erunt umquam - obtestamur, ne quis a nobis scrupulose gesta vel numerum exigat peremptorum, qui comprehendi nullo genere potuit. sufficet enim, veritate nullo velata mendacio, ipsas rerum digerere summitates: cum explicandae rerum memoriae ubique debeatur integritas fida.

11. negant antiquitatum ignari tantis malorum tenebris offusam aliquando fuisse rem publicam, sed falluntur malorum recentium stupore confixi. namque si superiores vel recens praeteritae revolvantur aetates, tales tamque tristes rerum motus saepe contigisse monstrabunt.

12. inundarunt Italiam ex abditis Oceani partibus Teutones repente cum Cimbris, sed post inflictas rei Romanae clades immensas, ultimis proeliis per duces amplissimos superati, quid potestas Martia adhibita prudentiae valeat, radicitus extirpati discriminibus didicere supremis.

13. Marco itidem moderante imperium, unum spirando vesania gentium dissonarum, post bellorum fragores inmensos, post aer<umnas> urbium captarum et direptarum, et pessum concita<rum> pro<pter> r<ec>toris interitu<m> partes earum exiguas reliquisset intactas.

14. verum mox post calamitosa dispendia res in integrum sunt restitutae hac gratia, quod nondum solutioris <vitae> mollitiae sobria vetustas infecta nec ambitiosis mensis nec flagitiosis quaestibus inhiabat, sed unanimanti ardore summi et infimi inter se congruentes ad speciosam pro re publica mortem tamquam ad portum aliquem tranquillum properabant et placidum.

Textus adhibitus

Ammiano Marcellino, *Storie*, a cura di G. Viansino, Mondadori, Milano 2008.

IV, 127 - Ad Principiam

[12] Dum haec aguntur in Iebus,⁶ terribilis de occidente rumor adfertur obsideri⁷ Romam et auro salutem civium redimi spoliatosque rursum circumdari, ut post substantiam vitam quoque amitterent. Haeret vox et singultus intercipiunt verba dictantis. Capitur urbs, quae totum cepit orbem, immo fame perit ante quam gladio et vix pauci, qui caperentur, inventi sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies et sua invicem membra laniant, dum mater non parcat lactenti infantiae et recipit utero, quem paulo ante effuderat.

*Nocte Moab capta est, nocte cecidit murus eius.*⁸

*Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, posuerunt cadavera servorum tuorum escas volatilibus caeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae. Effuderunt sanguinem ipsorum sicut aquam in circuitu Hierusalem et non erat, qui sepeliret.*⁹

Quis cladem illius noctis, quis funera fando

*Explicet aut possit lacrimis aequare dolorem?*¹⁰

Urbs antiqua ruit multos dominata per annos,

*Plurima perque vias sparguntur*¹¹ *inertia passim*

Corpora perque domos,

*[...] et plurima mortis imago.*¹²

[13] Cum interim, ut in tanta confusione rerum, Marcellae quoque domum cruentus victor ingreditur,

*Sit mihi fas audita loqui*¹³

immo a sanctis viris visa narrare, qui interfuere praesentes, qui te dicunt in periculo quoque ei fuisse sociatam. Intrepido vultu excepisse dicitur introgressos; cumque posceretur aurum et defossas opes vili excusaret tunica, non tamen fecit fidem voluntariae paupertatis. Caesam fustibus flagellisque aiunt non sensisse tormenta, sed hoc lacrimis, hoc pedibus eorum egisse prostratam, ne te a suo consortio separarent, ne sustineret adulescentia, quod senilis aetas timere non poterat. Christus dura corda mollivit et inter cruentos gladios invenit locum pietas. Cumque et illam et te ad beati Pauli

⁶ Ierusalem, scilicet.

⁷ Ab Alarico Gothorum rege, anno 409.

⁸ Isaia, 15,1.

⁹ Psalmus 78.

¹⁰ Verg.: labores.

¹¹ Ver.: sternuntur.

¹² Verg., Aeneidos liber II, vv. 361 ss.

¹³ Verg., Aeneidos liber VI, v. 266.

basilicam barbari deduxissent, ut vel salutem vobis ostenderent vel sepulchrum, in tantam laetitiam dicitur erupisse, ut gratias ageret Deo, quod te sibi integram reservasset, quod pauperem illam non fecisset captivitas, sed invenisset quod egeret cotidiano cibo, quod saturata Christo non sentiret esuriem, quod et voce et opere loqueretur:

*Nuda exivi de utero matris meae, nuda et redeam. Sicut domino visum est, ita et factum est. Sit nomen domini benedictum.*¹⁴

Textus adhibitus:

Hieronymus, in "www.Monumenta.ch/latein"

¹⁴ Cfr. Iob, I, 21: «Nudus egressus sum de utero matris meae / et nudus revertar illuc. / Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: / sit nomen Domini benedictum».

II 67, DE EXILIO

D. - Exilio pellor iniusto.

R. - Quid tu igitur? Iusto pelli malles exilio? Nempe quod ad iniurie cumulum, animum in diversum trahitur: habes enim iniusti exilii solatium comitem iustitiam, que, iniustos cives destituens, te secuta, tecum exulat.

D. - Iniusto exilio pulsus sum.

R. - An te rex expulit, an tyrannus, an populus, an hostis, an tu ipse? Nam si rex, aut iniustum exilium non erit, aut ipse non iustus, atque ita nec rex quidem. Si tyrannus, ab illo te pulsum gaude, sub quo boni exulant, fures imperant. Si populus, moribus ille suis utitur: bonos odit; et hic quoque multiceps tyrannus nunquam sui similem pepulisset. Non te igitur patria, sed malorum cetibus arceri, neque in exilium, sed in partem bonorum civium cogi putes. At si hostis, agnosce iniurie levitatem, non hostiliter sevit, qui omnia cum posset, patriam abstulit, spem reliquit. Sin tu ipse, mores populi perosus aut Tyranni, abitum, elegisti, non modo ne doleas, sed etiam gloriare, virtutem patrie pretulisse: non tu flebilem sed honestam et prorsus invidiosam, bonis atque optabilem, non iam exilii, sed absentie causam habes. Sponte Pythagoras Samon liquit, Athenas Solon, Lycurgus Lacedemona, Romam Scipio.

D. - Exilio damnatus sum.

R. - Multos exilium honestavit, multos acrior aliqua fortune vis atque iniuria notos reddidit et illustres. Quid te vetat illis inseri, qui, quasi ignem de silice, claram famam collisionibus quesiere?

D. - In exilium agor.

R. Habes in historiis magnos rei huius socios, quorum speciosissimus comitatus, non sensum modo doloris imminuat, sed oblivionem afferat. Non minor in exilio Camillus fuit, quam fuisset domi: quantus civis, quantus exul, qui victorias ac triumphos, non iustitia minus quam prosperitate conspicuos, in Capitolium duxit! Mox, hinc pulsus, pro accepta iniuria, ingrate salutem patrie rependit. Non facile aliud tam clari exulis exemplum fateor: sed Rutilius et Metellus tam nil exilium fracti sunt, ut Rutilius revocatus ab illo, cuius nutu non parere capitale erat, exilium amplexus, reditum contempserit, seu ne ulla in parte Senatui iniustisque licet legibus patrie obstaret, seu ne forte exul iterum fieri posset. At Metellus eodem quo in exilio profectus erat vultu atque animo remearet. His Marcellus accedat: hic ultimus, qui in belli civilis tempus incidit, pulsus nempe, non solitam modo constantiam, honestarumque artium studium non omisit, sed strinxit arctius, et publicis liber curis, uni excolendo animo tam ardentem incubuit, ut ad scholas missus honestissimas, non ad exilium videretur. Quod quidem in Cicerone conspectius, operum splendor et literarum copia maior facit, non exilii modo sed carceris dulce solatium.

D. - Exilium patior.

R. - Exilium breve cito te patrie tue reddet, longum vero aliam tibi patriam dabit, unde exulent, qui te exulem voluere, dedissetque nunc, si ad naturam rerum non ad opiniones hominum aspiceres: valde enim angustus est animus, qui sic ad unum terre angulum se applicat, ut, quicquid extra sit, exilium putet. Multum abest exilii deplorator, ab illa animi magnitudine, cui totus orbis carcer exiguus videtur. Interrogatus Socrates cujas esset, «Mundanus, inquit, sum». Vere Socraticum responsum; Atheniensem se alius respondisset: Socrati autem patria omnium mundus erat, non hic solum, quem vulgo mundum dicitis, cum pars ultima mundi sit, sed celum ipsum, quod hac rectius appellatione comprehenditur. Illi patrie destinati estis, ad quam si suspirat animus, qualibet in parte terrarum peregrinum atque exulem se noverit. Nam quis patriam vocet, ubi non habitet nisi ad breve tempus? Illa vere cuiusque patria dicenda est, ubi quisque perpetuo securus ac tranquillus deget. Quere hanc? in terris, puto, irrita erit inquisitio. Ut nature autem lex est data mortalibus ac prescripti fines, dum hic vivitur, terra omnis patria vestra est; intra quam, qui se exulem facit, non tam rei, quam animi vitio laborat. «Non habemus hic manentem civitatem», dixit Paulus. «Omne solum forti patria est», inquit Naso. «Omni homini natale solum», ait Statius. His te vocibus armatum velim, quibus ubique unus, et vel numquam, vel semper in patria tua sis.

D. - Ire in exilium iubeor.

R. - I sponte: peregrinatio erit, non exilium. Et memento quibusdam exitum, quibusdam vero reditum pro exilio fore. Sunt quibus nusquam peius quam in patria sua sit.

D. - In exilium cogor.

R. - Cupiendo quod cogeris, efficies ne cogaris. Omne violentum patientia vincitur, et desinet esse violentum quod volenti fit.

D. - Ire in exilium est necesse.

R. - Tu fac volens, quod vel nolens faceres; fac letus omnia, ne quid mestus patiaris: ita omnem vim necessitatis, omnes clavos quos adamantinos illi tribuunt, catenasque, omne tedium molestiamque discusseris. Sed vos impossibilia cupitis, necessaria fugitis, utrumque nequicquam.

D. - In exilium eo.

R. - Immo forsitan in requiem: sub obtentu false miserie vera felicitas. Iam saltem ab invidia tutus eris: prospera, mixtamque cum gloria securitatem arripe. Tutis et honestis latebris nil est dulcius: nulle his conferri possunt urbium platee.

D. - Pellor e patria.

R. - Pulsum te pessimis, optimis insere, neque te patria, sed patriam te indignam rebus proba. Sentiat illa quid perdidit, tu nil perdidisse te sentias. Mali cives tui tedio simulque presentis odio ac suspitione careant, boni autem amore absentis ac desiderio teneantur, sequanturque oculis atque animis abeuntem. Illi se solos linqui doleant, tu te comitatum gaudeas proficisci, neque te in tergum respicias, neque reditum cogites, neque cum illis esse cupias, qui te cupiunt abesse: neque demum quod a te fieri debuit, ab alio factum egre feras. Debuisti cedere civium invidie, utque illam fugeres, ultro in exilium ire. Huius ego consilii dux eram. Nec exempli duces deerant clarissimi: nam in primis tres magnos Scipiadas id fecisse noveras, tamque perseveranter, ut patriam sua presentia, qua nil clarius habebat, spoliata indignam quoque cineribus defunctorum, quidam insuper famoso dignam epigrammate iudicarent. Nomina sunt immortalis memoria, que tibi per famam perque omnis historie fidem ignota esse non poterant: Africanus, Nasica, Lentulus.

D. - Mittor in exilium.

R. - Immo in experimentum tui: videris quem tu in exilio prebeas; si succumbis, exul verus; si consistis, exilio clarus, ut multi olim qui invicti et fulgidi per asperitates incesserunt, ut sequentibus rectum iter ostenderent. Sine tyrannos sevire, sine populum furere, sine hostes ac fortunam fremere: pelli potes, capi, cedi, perimi, vinci autem, nisi manum extuleris, non potes, neque ornamentis tuis spoliari, cum quibus, quocunque ieris, et civis et patrie principum unus eris.

D. - Exulatum pergo.

R. - Perge alacer, i securus: nescis quam longa sint brachia tui regis. Nil illi longe est, ubique te proteget qui protexit in patria.

Textus adhibitus:

Pétrarque, *Les remèdes aux deux fortunes*, Jérôme Millon, Grenoble 2002.